

Modus subitaneae refectionis enucleatus / [Philipp Friedrich Jäger].

Contributors

Jäger, Philipp Friedrich, active 1683-1684.
Camerarius, Elias Rudolph, 1641-1695.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Literis Kernerianis, [1683]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fkch6m83>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

37

MODUS

SUBITANEÆ
REFECTIONIS

Eucleatus,

Et

FAVENTE DEO,

Consensu Incltyti Medicorum

ORDINIS

P R Æ S I D E

DN. ELIA RUDOLPHO

CAMERARIO, Phil. ac Med. D. in Academia

Tubing. Profefs. Publ. Ordin. Serenifs. Würt. Duc.

Confiliar. & Archiatr.

Publica Ventilationis expositus

à

PHILIPPO FRIDERICO Jäger/

Uracens.

Die Decembr.

1683.

Moris Locaque Consuetis

TUBINGÆ,

LITERIS KERNERIANIS.

VIRO

Maximè Reverendo & Amplissimo,

DN. M. JOHANNI JACOBO MÜLLERO,
Serenissimi Würtembergiæ Ducis Consiliario, Cœno-
bii Blaubyrensis Præsuli Dignissimo.

VIRO

Plurimum Reverendo & Amplissimo,

DN. M. GEORGIO BURCKHARDO
KNOEBELIO, Pastori Göppingensium, ut & Diœ-
ceseos Speciali Superattendenti meritissimo.

Nec non


DN. GEORGIO FRIDERICO JÄGERO,
J. U. D. Cancellariæ & Dicasterii Würtembergici Ad-
vocato, Civitatisque Stutgardiensis Consulenti Ce-
leberrimo.

DNN. Avunculo, Affini & Fratri Germano Senio-
ri Parentis instar Colendissimis, amando.

Decerptos hosce in studio Medico
Flores

*In sui ulteriolem Commendationem & Amo-
rem offert & donat filiali & fraterno cultu
addictissimus*

Philippus Fridericus Jäger.



Σ. Ο.

Lenta remedia & segnes Medicos non expetunt tempora mea, vel mori strenuè, quam tardè convalescere, mihi melius est. In hunc modum alloquebatur Medicos suos olim Alexander Magnus Cydnum Mediæ annem frigidissimum pulvere ac sudore perfusus calidum corpus abluendi gratiâ postquam tam infelici eventu intrarat, ut expiranti similis isthac in tabernaculum à ministris deferri necessum habuerit: Paria equidem ubique sub primo in ædes Ægrorum ingressu audire solent Medici, ubique secundum decumbentis mentem periculum in morâ; Subitaneo hinc & præcipiti remedio famam vulgi, Ægrorum favorem aucupare valent, licet cunctando, secundum Artis Regulas, sæpè etiam restituant rem. *Exercitium* hinc *Publicum* meditati mihi se offerebat *Refectio Subitanea*, lenta aliorum ableganti remedia. De Hoc ergò tam curioso, quàm in Praxi utili *Themate*, breves ad ventilandum dum duco lineas, ut *DEVS Ter Opt. Max. huic annuat proposito, est quod ardentè & devotè flagito.*

Th. I. Fit Subitanea Refectio, cum corporis humani vires ab animi, corporis laboribus aut morbis prostrata vel resoluta vel oppressa, subito seleriter & in momento quasi per medicamenta reficiuntur.

II. Refectionem dum dico, Non intendo totalem mali ablationem, sed recreationem. Per refectionem hanc itidem Non intelligo, quod per medicamenta dicit, nutritionem, cum substantia partium rorida, particulæ blandæ roscidæ morbis vel laboribus absumptæ novis appulsis nutritilibus particulis restituantur, nova fit irroratio, deperditi restauratio, agglutinatio, assimilatio. Propriè enim nutritionis vocabulum si accipiamus, roborantia spiritus, quod *Cesalpinus* vult, non nu-

triunt. Spirituum alimenta *Platonis* affectu ponunt odorem, cantum, sonum & lumen, verè sed impropriè loquendo. *Subitam* dum pono, cum nimirum homo languens brevi temporis spatio, imò in momento quasi vires recolligit, vigorem recuperat, excludo lentam virium recollectionem, quam expectare coguntur illi, qui in statu convalescentiæ constituti sunt, dum vires fractæ & imbecilles sensim & sensim remediis quibuscunque refocillantur, ægerque tandem post longam temporis moram integræ sanitati restituitur; de quâ duplici refectioe *Hippocrates sect. 2. aphor. 7.* quem non nutritioni solam, sed & refectioe per medicamenta adaptandum censeo.

III. *Quid vires prosterneat*, quærenti dico: Virium vigor & languor in corpore nostro à triplici spirituosorum, fluidorum & solidorum debità vel perversâ constitutione, amicâ harmoniâ vel discordi dissonantiâ oritur; Cum autem duo posteriora in vivo corpore à spiritibus vivis (quod signanter dico) quâ suas functiones multum dependeant, Spiritus sunt, qui in virium dispensatione potissimum valent. Spiritus quid sint, quæ ista subtilissima corporis humani vivi corpora, maximè tenues volatiles activæ sanguinis (non seri, quod etiam tenues insensiles emitit partes, sed non activas) partes & in & extra ipsum per totum corpus motæ ex *Physiologicis* præsupponimus, nec aliud quid nomina ista obscura & obscurantia quorundam *Chymicorum*, sydereus homo, *Gabalus*, umbra corporis visibilis, familiaris *sophorum* homunculus, spectrum, internus *Adech*, Naturæ lumen &c. dicere credimus, aut si aliud quid intelligunt, fallaces imò impii sunt. Absit etiam, ut spiritus negemus penitus, & ipsis animam humanam rationalem sed materialem, quod *Quidam* audent, substituamus. Hi autem spiritus ut suo præsent muneris, quantitate debità præsentis, subtiles, activi, sereni, puri, liberi, sui debiti juris sint, motu determinato moveantur, necesse est. Quando ergò recedunt à dictâ regulâ, præsertim dum à defectu mox aliz etiam conditiones læduntur, Vires prosterneantur, vel resolvuntur, vel opprimuntur.

IV. Hoc autem efficiunt *Animi Labores*. Inter Hos eminent *Pæthemata*, quæ dum spiritus nimium modò objecto suo variègrato, ob bonitatem desiderato expandere se, dilatate, simul & alias partes concitatus movere faciunt, dum ob adversum inimicum malum ad contractionem aliarumque partium pressionem quasi cogunt, dum ob variè mixta objecta inordinato confuso agunt aliu motu aut inertii torpore,

magna

magna fit spirituum dissipatio, insignis sæpè suffocatio, dyscrasia &c. Huc & spectant curæ assiduz, torquentes, Meditationes profundæ, continuæ, Lucubrationes diurnæ, spirituum deprædatrices. *Corporis Labores*, motus nimii, sub quibus & vigiliæ nimix. Liceat hic etiam comprehendere Aërem, famem, cibos fatigantes, nimium excreta, indebitè retenta, medicamenta à *pejoribus* usurpata, cum potissima spiritibus nimis abutantur, eos dissipent, resolvant, imminuant, enervent, torpescere faciant, alia particulis heterogeneis obruant, eorundem activitatem obtundant. Ipsa autem defatigatio à spirituum defectu, dejectione oriunda discernenda est à dolore, qui sub illis laboribus per nimiam fibrarum tensionem gignitur. *Morbi sive cause morbificæ* quæcumque aggrediantur corporis partem, spirituum dictæ triplici nocent dispositioni. *Spiritibus* hoc modo *lassis* languent imminuuntur, dejiuntur, *actiones* vel *singula* vel *potissima*, Vitales, Animales. (cui biga hæc non placet, trigam vel quadrigam constituat) Quomodo in specialibus morbis specialiter, mei propositi transit limites.

V. Non autem sub nostrâ *Refessione* comprehensam volumus, licèt fieri posset, spirituum sopitorum *suscitationem*, ad motum activum *promotionem*, nec turbatorum ferocientium *collectionem* aut *revocationem*; cum in affectibus soporosis spiritus sopiti ligati excitantur, cum in aliis turbati inordinatè dispersi recolliguntur, ad debitos revocantur limites, sibi redduntur; quod agunt frictions, ligaturæ, vellicationes nasi, pilorum, unctiones, punctiones, alapæ, subitæ vehementes refrigerationes, acclamationes intensiores, objecta sensuum præsertim odoratus ingrata, menti, animo terrorem, metum, marrorem incutientia, varia alia dolorifica &c. Nec istam hic volumus *spirituum* sive ob objectum *improportionatum* dolorem inferens, sive ob nimiam agitantem degenerem exaltationem quasi furibundorum per opium *ligationem*, coërcitionem, quæ non rarò à *Medico* etiam subitò perficitur, viribusque subvenit.

VI. Quæ autem *Hæc*, quam indigitamus, *Refessio* fiat, *omnis* ferè *Antiquitas* cum *Recentioribus* non paucis censet, omnia, quæcumq; animam recreant, nos vividos & alacriores reddunt, illud agere, quatenus ipsum cor substantiæ suæ proprietate reficiant. *Avicenna* inter *Cardiacæ* primum locum assignat spiritus reficientibus, subjungens eosdem illustrantia, substantiam cordis congregantia sive spirituum resolutionem prohibentia.

cordiamica, roborantia per qualitates manifestas, evacuantia & occulta proprietate roborantia, quæ cautam requirunt, si admittunt, explicationem. Verùm *Viam*, per quam hujusmodi medicamenta ad interiora corporis penetralia & intimam animæ sedem tam citò penetrent, ut quasi momentaneo spatio totius corporis vires restaurentur, *Authores* straverunt *non unam*. *Via ordinariæ* per ventriculum, intestina, vias lacteas, ductum thoracicum, venam axillarem & cavam ad cor, quarum emersionem non momenta, non horarum quadrantes, sed unam vel alteram horam requirere credunt *Plerique*, cum per nimias ambages ipsis ire viderentur, ut istas evitarent, anxie varii laborarunt. *Alij* per rimam laryngis aliquid se insinuare liquoris, argumento forsan desumpto ab utilitate linctuum in affectibus asperæ arteriæ, pulmonum & thoracis; *Alij* ex gulâ ad glandulas, inde per vasa lymphatica in venas axillares jugulares, ab his in cavam & tandem ad cor ipsum pervenire existimant. *Mæbius*, *Smalve* statuunt, partes spirituosiores ingestorum venis communicari, cum sanguine misceri, liquorem omnem tenuioremque alimenti portionem, quæ spiritu & aquâ saltem constat, à membranâ spongiosâ ventriculi semper imbibi, indeque venarum osculis facile instillari, cum sanguine versus cor refluxo protinus confundendum, cum venena, purgantia extra corpori applicita per cuius poros Spirituali parte attrahantur, & ita vires suas toti communicent; Cui & citissimâ refectioe persuasi venæ gastricæ ramos tenuiorem & subtiliorem chyli partem exfugere antequam ad hepar chylus deveniat, credunt *Picolhomineus* & *Aquapendens*. *Glissonius* liquoris nutritii partem à ventriculo imbibi, inde in nervos dispensari, atque hinc fortè ab assumpto cordiali haustulo subitam virium refectioem animique refocillationem provenire censet. *Willis* dicit, viam non tam longam, prout olim putabatur, esse, ut timor sit, ne medicamenti virtus in via amittatur, veruntamen è vestigio è finibus his in illos transitum dari. Interiorem nimirum ventriculi tunicam nerveam vasa innumera confitissimè obducere, proinde ut pharmaca non solum Cathartica, verum alia quæque in præcordia aut cerebrum, imò in extimam corporis oram destinata nondum ventriculo egressa operationes suas in sanguinem ordiri. *Bartholinus* ramum lacteum observare sibi visus est œsophago conterminum, per quem spirituosâ adeoque ipsa Cardiacâ subitò in venam axillarem sinistram indeque cum sanguine in

cavam ascendentem & sic ad cor ipsum possent revehi. Verum ipse in *Anatom. Reform.* scripsit, curam posteriorem revelasse, hunc ductum esse lymphaticum.

VII. Qui *humanum corpus*, quod frequenter hodie fit, *machinam* dicunt, partium ipsius vitia vel defectus & harum per reficientia emendationes adducunt. At sive horologio, ejusque partibus, libramento, pendulo, rotulæ libramenti, horariæ, elaterio, palmulæ, &c. sive hydraulico-pneumaticæ machinæ, sive artificiali corpori cantilenam modulanti, in varias se moventi figuras compares, vivum est corpus humanum, à spiritibus dirigitur, sentit, generat sibi simile, ratiocinatur, quod nulli artificiali machinæ datur unquam; In interiores ejus partes, ceu aliàs horologiopœjus, hydrarcha, &c. interiorum machinæ partium vitia corrigit, mechanicè agere non licet, ne de aliis plurimis cum fundamento contra moveri solitis dicam. Et *positâ hâc, non concessâ, sententiâ*, blanditur illi Medico theoretico, practicum ne gry quidem juvat, imò confundit. *Smetius* nihil magis in ore Medicorum esse, magis usitatum, nihil autem minùs Practicis cognitum, quam roborantium Naturam exprobrat.

VIII. Magna hodie lux *Arti* accedit *Medicæ*, dum non nudâ auctoritate, solo medicamenti epitheto nixi præscribunt ejus *Cultores*, sed modum agendi probè examinantes, huic vel illi negotio destinant, non cæco impetu, non vulgari per traditiones modo, sed rationibus ducti medicamenta exhibent & applicant. *Agunt Reficientia* potissimum in *Spiritus*; & hoc dum dico, *Cor* tanquam horum etiam *Directioni* subjacens, tanquam generans dispensans ipsos proximè partim, partim remotè, non excludo. *Modum ad Triplicem* ego refero *Classem*; Quædam *una*, quædam *duplici*, pleraque *triplici* illa nunc indigitanda agunt ratione.

IX. Reficiunt Medicamenta subito *Vires* r. dum *Consolantur Spiritus in Ore & Naribus*. Spiritus autem injuriam patientes, cum in unâ saltem corporis parte juvamine, auxilio aut consolatione beantur, & reliquos istius gaudii participes faciunt. Insignis enim spirituum per totam humani corporis compagem est amicitia, magna conspiratio, cætenatus consensus, ut in latis latentur simul, in adversis pariter dejiciantur. *Oculos* cum feriunt grata, cum serenus aër, cum vernans pratium, cum floridus hortus, cum venustus vultus, aut aliud spiritibus illorum blanditur, mox omnes totius corporis spiritus de tali blandimento lata-

ri quasi videntur. Ex aduerso, cum terrentur isti ab objecto abominabili, turbantur & reliqui ac terrentur. Solùm excellens impropor- tionatum objectum cum lædit istos, læduntur & cæteri. Hinc iste mos, quod hodie lintheaminibus candidis fenestras obvelare solent, ægris, præser- tim quibus sanguis æstuat, caput dolet &c. maximè nocet ob nimium luminosum candorem. Tympani membranæ in *Aure* cum reliquis parti- bus ab aëre appellente ac colliso si moventur, pulsantur suaviter, spiri- tus præsentibus ibi in suavis affectionis consortium & reliquos trahunt; suauem saltem considera Musicam, pensata *Medicorum*, de eius vi in *Me- lancholicorum* & furiosorum curatione *Observationes*. Econtra disso- nans tonus quam non quasi dissonantiam corporis inducit spiritibus? objectum non correspondens ut e. g. sonitus explosorum tormentorum bellicorum majorum, dum auditorios dejicit spiritus, reliquos corporis etiam in confusionem agit. Spiritus quid valeant, ut membranam *Na- rium* afficientes minimæ corporum odorabilium partes se commendent aut secus, qui ibi recreati solatii sui in toto corpore alios etiam compo- tes faciant, obuium cuiusvis quotidie est naribus. Asa verò fætida, licet aliarum regionum incolis grata, & similia, quam fugent & narium & reliquos corporis incolas spiritus, itidem notum. Grata licet, nimia tamen quantitate valdè tenuia multum turbant. *Lingua faucium* & *vi- cinarum aliarum partium* spiritus cum suavi, grato sive alimento sive me- dicamento ulcentur, ad quod tamen multa determinata pro indivi- duorum varietate requiruntur, tota spirituum cohors ridet, salit. Cum verò ingrata, sordida offeruntur, nausea totius corporis horror ac con- cussio subsequitur. *Membranacea nervea fibrilla* cum in objectum agunt quod reagit blandè expandendo, fricando quasi, non illarum solùm, sed & tota spirituum cohors tripudiat quasi. Verùm ubi vehementius illas alterat, distendit, solvit, dolor oritur, qui quàm integræ corporis structu- ræ Rectores immutet, turbet, confundat, in ferociam agat, cuius in se experiri licet. Morbus qui sine dolore est, à *Plerisque* pro morbo non habetur. *Vel adulatio vel mina* qui moveant spiritus, inter innumera amicus de favorabilibus cum ægro discursus, & procidentia ani ignito ferro saltem ipsi monstrato (licet igneis particulis hic actionem non demam) curata docent; Tumorum ac verrucarum manu cadaveris ablatio causam inter alia agnoscit horrorem & inde spirituum immu- tationem, recessum.

X. Consolatio autem ista fit à *Gratia*. Cùm nimirum ea, quæ sapore placent, odore afficiunt, spiritibus ibi sitis gratæ, reliquos etiam corporis de hâc complacentiâ monent; *Hinc* quotidianum est, quosdam utriusque sexus *Ægros* conqueri, cùm aromatico spirituosissimo medicamento sapore lingua & fauces non punguntur quasi; *Es seye nicht krâsstlg.* *Gratia* autem ista *Universalis* semper non est, sed uni vel alteri *Ægro* propria; hinc ille *Medicus* prudentiæ felicitatem jungit, qui, quantum licet, genio ac palato assumentis indulget. Quæ enim huic gratissima sunt, averfatur alteri summè. Fabula non est, quod Rustici simetis reficiantur, Pharmacorum odores gratissimos averfentur. Sunt in hominum genere permulti, ut *Grube* loquitur, qui Rosarum halitum perferre non possunt, atque in iis viri quantivis pretii, nam cùm Romæ essem, vidi *Oliverium Caraffam* magnæ celebritatis Cardinalem, qui rosarum tempore quotannis secedere cogebatur, seque intra suos, quos in *Quirinali* habebat, hortos claudere, custodiis ad ostia dispositis, ne quis aut salutantium, aut amicorum, officii gratiâ ingredientium, rosam offerret. Aliis vertigines cydonia, aliis Moschi suavitas singularis suffocationem quam vocant, uterinam, aliis Jasmini odor non ingratus aliàs, animi deliquium solet excitare &c. Nec in tali casu nihil agit iste, nunquam otiosus quibusdam dictus Tyrannus, *Consuetudo*, hæc enim molesta reddere valet magis accepta, sicut in aliis, ita & in hoc *Resicientium* foro. *Potissimum* tamen *Gratia* titulo blandiuntur aromatica, suaviter acria, sulphure oleoso blando prædita, spirituosissima, illis præsertim qui spiritui vini assueti sunt, suaveolentia, moschata &c. (cautelam de quibusdam sequioris sexus non improbo) dulcia delicatulis & infantibus, acida sitientibus; hinc tot *species aromaticæ*, (mihi tamen ob spicam, camphoram &c. non omnes videntur suaves) *Tragea*, *Confectiones*, *Condita*, *Aqua composita*, *Catharrales*, *Apoplectica*, *Cephalica*, *Cordiales*, &c. *Spiritus*, *Elixiria*, *Essentia* &c. variæ *Moschatorum* formulæ, varia dulcia, *Morsu- li*, *Rotule*, *Trochisci* &c. *Varia*, ex dictis modò combinata, ab *Authoribus* conglomerantur ac commendantur medicamenta; quorum quædam solùm indigitata ratione confortant. Major autem ab *Ægris* ipsis & adstantibus contingit circa tales *abusus*. Quot sunt, qui illis domesticis *Aquis Spirituosissimis*, à quibus assueti tam abstinere non possunt, quàm à *Peto Tabacophili*, suum enervant ventriculum, sanguinem inflammant, qui tabulis confortantibus *Krâsstfûchlen* / *Manus Christi* nomine

ne insignitis ex saccharo & aqua rosarum, modo non & ex Amylo, primas vias a core impastant. Utinam abusus non à vulgo solum, sed & ultra sapere volentibus circa Reficientia inductus aboleri posset! Nec tamen nego, haud rarò Medicum cogi quasi, ut aromaticis, spirituosis, dulcibus, gratis, spiritus demulceat ægrorum, prius, quàm hostem ipsum primario aggredi concedatur, ceu & in plebis rebellionibus, ferociens rebellium motus blanditiis verborum & promissionum illecebris ad mansuetudinem reducitur ante, quam primarii istius motus Authores vi apertâ ac publicâ opprimantur.

XI. Fit dictum Juvamen *etiam*, cum in istis locis sub primo aggressu spiritus restaurantur, liberantur, reducuntur, qui de hoc suo beneficio totam cohortem commonefaciunt. De ista restauratione, liberatione, reductione in genere, ne unam bis coquamus cramben, in classe tertiâ, ad quam etiam grata multa hætenus laudata ob modum ibi determinandum simul referenda sunt.

XII. Reficiunt Medicamenta subitò Vires 2. dum mala Ventriculi tollunt. Ventriculum animæ sedem non pono, vix autem, imò nulla est pars corporis solida, quæ tot morborum causa est, toties ac tam facile à causis morbificis tam externis, quam internis patitur, tantum ad medicamenti ætuationem tribuit, ac Ventriculus. Cum subitus ob adversum nuncjum terror corpus concutit, cum *mæror* animum dejicit, cum *Ira* mentem agitat, sub primâ invasione in ventriculo dolor, molestia, pondus sentitur. Cum à *cibus* aut *potu* læditur corpus, primus est, qui patitur, ventriculus. Cum *nimii labores* corpus fatigant, major non percipitur dolor, quàm circa cordis scrobiculum ventriculi potissimas partes tegentem. Vix morbus est, qui non & ventriculum per consensum lædat. Et, quod maximum est, Ipsa Hæc Pars plerorumque, imò plurimum, quàm vulgò credi solet, morborum mater est. Quàm diffusa symptomatum est series, quæ *Hypochondriacum*, ut vocant, comitantur morbum! At prima istius radix in ventriculo potissimum hæret. Certus sum, multos partibus adscribi morbos proprios, quorum primaria in ventriculo latet causa, multos morbos tolli posse remediis solum, aut potissimum, in ventriculum agentibus. Observationes ad experientiam firmandam colligere superfedeo; vel vulgus notat syncopes, convulsiones, epilepsias à ventriculo; deliquia à fame, laboribus, motu, morbis etiam suborta, unicus vini haustus sæpè tollit. *Vid. Excell. Dn. D. Metz.*

P. P. celeberrimi, Patroni & Præceptoris æternùm devenerandi Diss. de Ventricul. th. 7. & 8.

XIII. Sive autem proprium sibi cudat malum, sive alii communitet parti, non possunt non enervari Spiritus. Isti autem malo in ventriculo dum obviant medicamenta, excitantur, vigorantur Idem. Cùm sanguis ad ipsum fluit ac subsistit fervidior, dum fervorem restinguunt diluentia, acidiuscula, Emulsiones &c. Reficiunt; Cùm à viscoso mucoso liquore in a&ivitate impeditur, dum attenuant, incidunt volatilia aromatica &c. Recreant. Eadem, ubi spirituositas Gastrici menstrui vacillat, torpet, profunt. Cùm verò amicè solvens acor ejusdem remittit, jungantur acida, maximè vegetabilia. Cum intenditur ipse, infringatur per absorbentia dici solita, hoc modo subitaneo auxilio non destituta, quæ invertunt, destruentia salina lixiviosa fixa, dulcificantia volatilia &c. Cùm in varia acredinis genera degenerat, doloris varii causa, itidem quæ terreis fixis, calcibus &c. etiam quæ volatilibus particulis illam tollunt, exhibentur. Cùm fibræ membranarum, tam carneæ, quàm nerveæ laxæ nimis sunt, stringentibus ac cohibentibus, cum nimis tensæ, relaxantibus, consolantibus, demulcentibus, reducuntur. Malum ergò ventriculi, quem primùm medicamentum accedit, hærens sive in ipsius Menstruo, glandularum sobole, sive fibris, causa dejectionum, suppressorum spirituum, dum tollitur, mox etiam excitantur, recreantur, liberantur Spiritus.

XIV. Reficiunt medicamenta subitò Vires 3. dum tenuibus particulis Penetrant, istas masse sanguineæ tam per ordinariam lacteam viam, quàm vasa revehentia, ac toti communicant, sicque spirituum quantitatem deficientem augment, a&ivam subtilitatem, serenam puritatem conciliant, promovent, torpidos in motu excitant, & hoc etiam, dum causas spiritus ita deturpantes, subitò aliquantum immutant, tollunt. *Tenues dixi*, & sub hoc nomine intelligo non tale volatile, qualem volatilitatem Cypriis pulveribus se inducere *Cosmetici* gloriantur, sed penetrantia minima corpuscula, non solum, quæ vel à levi calore mota avolant, sed & quæ firmiùs ac fixiùs sibi suoque cohærent corpori.

XV. De Aromaticis spirituosis &c. dubium *Quidam* movent quoad tenuitatem, *plures*, quâ viarum ambages; aliorum verò solidorum, fixorum corporum, præsertim mineralium & metallicorum tenues exhalantes particule in dubium vocantur à multis, cùm integris

ad sensum in ventriculo residuis corporibus aut per alvum egestis, ipsa tamen vis, in toto corpore sese exseruerit. Verùm, corpora non fluida, humida, mollia solùm, sed & sicca, densa, solida, dura, ponderosa, imò & valdè fixa emittere exhalationes corporeas, egregiis Experimentis evincit, quàm mira effluviolorum tangibilium, visibilium sit subtilitas, quàm per minimos corporum maximè compactorum poros pervadant, quanta ejus copia vix, aut non, molem imminuat, quantum replere spatium valeant, doctè pro more exponit, quàm insignis eorum sit efficacia, modos docet *Celeb. Boyle*, & cum eo *alii*, quæ repetere super sedeo; paucissima, sed trita ac obvia pensanda proponens, copiosissimas absque insigni, si accuratè, nullas, si obiter ponderes, molis decremento moleculas, cæca, ut *Lucretius* vocat, corpuscula communicantia. Ex *Poculo Emetico*, quod inter medicamenta *Castrensia*, ob hanc etiam causam ponunt *Celebres Medici*, si centum aut plures quadrati homines, vinum biberint, singuli *ἀνω καὶ κάτω* largiter evacuabuntur, molis tamen externæ nihil, ponderis vix exiguum quid ipsi decedet; *Quis vivus* per ebullitionem aquæ huic vel illi *helmintagogas* communicat moleculas, quæ tamen ejus molem aut pondus non imminuunt, quàm exigua quantitas ejus per inunctiones communicatur; *Aurum* *Bracteatores* & *Ductores*, in quas minutissimas extendunt sensui occurrentes particulas; Certè qui recensuerit saltem, non Experimenta simul adduxerit, ad quot milliarium spatium in longum extendi possit *3j.* ejusdem, mendacii arguetur; Ignitum liquoribus communicare quid, *Magni credunt Medici* non sine effectu; *Metallorum mineralium* *fossiles*, *fusores*, *Aurifabri* & *familis conditionis homines*, suis morbis produnt tenuissimas *Metallorum mineralium* minutias; *Lapides*, *vitra*, odorem fundunt trita. *Varia Odoramenta* absque ullo, *sussumigia* à *levissimo igne* quàm *exigui granuli* quantitate in moleculas extenduntur innumerabiles; quid est, quod decedit in *horto floribus*, quorum *gratioso recreamur halitu*, qui *Sapientes cum Lipsio* in hortos alliciunt; *Aquæ Cypriæ* guttula una vel altera ferventi aspersa fornaci aut lumini saltem admota totum replet *conclave*, integramque in isto hominum turbam demulcet; Intret quis *Aromatariorum*, *Materialistarum* (liceat his uti terminis) & *similium officinas*, quæ non quibusvis minutis ibi exhalant corpuscula absque ullo notabili ponderis aut quantitatis decremento: Illa tamen quæ exhalant & odoris sensum afficiunt, corporea sunt, non *Entia*, ut *Quibusdam Speculatis-*

lativis Philosophis placet, Intentionalia; non pauca sunt, è quibus postquam paravit Chymiurgus Extractum, externa facie suam retinent molem; Atomorum numerum ex Thuris grano exhalantium sagaci experimento computat maximum Magnenus; In Experimentis Physicis hinc ventilatis, è grano pyrii pulveris emanantes exponuntur. Moschus, ambræ, aqua spirituosæ, olea destillata, minimâ quantitate per quantam aquæ, sacchari in Elæosaccharis, pulverum in Trageis molem se diffundunt. Quis numerum definiet illarum particularum, quæ ex unica arbore Lauru Ceylanica baccis caliculatis educuntur & exhalant. Destillatur ex radicis cortice camphora, & ejusdem oleum, ex trunci cortice oleum cinnamomi, ex foliis oleum caryophyllorum, ex fructibus oleum juniperino simile cum paxillo cinnamomi ac caryophyllorum, mixtum excoquitur oleum pingue crassum ad instar ceræ. Horum tenuissimorum corpusculor. copiam ac expansionis spacium perpendenda offero; Spiritus volatiles, urinosos, salia volatilia oleosa, quæ in immensum dilatantur, maximam particularum minutissimarum comprehendunt numerum, silebo; Semen è siliquis piperis Indici, Mexicani, Capomolago, Quiya, Hispanici maturum si extrahis & leviter digitis tractas, ipsos postmodum naribus, oculis aut alii etiam parti admove, senties seminis minima corpuscula. Vipera, Scorpiones, fuci, vespa, quas non actiones in totam corporis humani structuram exercent, tenuissimis, quas morso, ictu in istam transmittunt, moleculis; Externè corpori admotis, qui vim in illud denegant, Cantharidum invisibilia corpuscula, vel Emplastro impacta, vel spiritu oleoso communicata, externè applicita, ad vesicam penetrantia considerent. In Sensus, præsertim visum, non incurrere plures tales, quas credo adesse, partes Concedo; sed negatur Consequentia; Non videtur hoc vel illud: Ergò non est. Quæ instantiæ de aëre, fuliginibus halitibus ac vaporibus in Macro & Microcosmo, Electricis actionibus, Magnete, &c. de adductis exemplis possunt objici?

XVI *Metallica medicamenta, Gemmas, sulphura mineralium, &c.* solo aspectu ac nudo contactu, irradiatione ac radiorum lucidorum ejaculatione in partibus, quas transeunt, vires suas exerere, imò esse instar Astrorum lucentium & speculorum lucidorum radios eminùs insopitum vel succensum Archeum vibrantium, Modernorum est sententia Chymicorum; Quæ tamen in dubium vocari potest ob sequentia. 1. Potissimæ, quas Antiqui & Moderni quidam Gemmis attribuunt vires,

sunt inter illa, quæ per traditiones è chartâ in papyrum propagata sunt, quæ facillè credulis à jactantibus persuadentur, ab experientiâ autem refutantur. *Sulphura Metallorum* crepant, monstrant multi, sed profectò talia, qualia *Veri Artifices Igniarij* desiderant, non sunt. *Metallica* medicamenta quo igne, quâ *Enchirisi* præparata sint, multum refert. 2. *Irradiatio, Magnetismus, Idealis impressio, occulti Regiminis actio* & similia, si sola nomina absque expositione considero, quid aliud dicunt, quam quod occultæ hodie, tam malè audientes, qualitates. 3. Et *Radij & Astrorum lux, Magnetis effluvia* in corporum ab *Hodiernis Naturæ Scrutatoribus* vindicantur classem. Et quid vetat, talem irradiationem, actionem, quæ deprehenditur reverâ, per tenues moleculas explicare; *Fautor* hujus Radiationis dicit, visibilem ipsam non esse, ob summam spirituum spirituositatem, tenuitatem, raritatem, subtilitatem, extensionem, expansionem; quæ & tenuibus medicamentorum particulis applicari debere censeo. Ex quibus etiam singulis, quid de istâ simili opinione *Toparchæ Merodani* circa spirituose, volatilia, aromatica sentiam, facillè patet. Non enim nutritionem, sed refectionem volo; Odoris aut saporis gratia in interiora per minimas atomos penetrans actionem dotalem incognitam non ponit, inexplicabilem non dicit.

XVII. Moleculæ ergò penetrantes in medicamentis variis Reficientibus adsunt, *Ventriculus* in actuatione & transmissione per vias patentes jam dictas activus valde est, *Experientia* ab hoc vel illo cibo assumpto mox in pustulis fistulis, &c. non pruritus solùm, sed & alios illius characteres percipi docet, unde tales penetrantes subitò à *Ventriculo* evolutæ, suscitæ, *Massæ sanguineæ*, toti communicantur. *Excellentis. DN. Præses in Colleg. privato de Materia Medica, Cardiaca & Corroborantia*, vulgò dici solita vocat ea, quæ tenuibus constant particulis & quidem calida, quæ aromaticis sulphureis, oleosis, spirituosis salinis, volatilibus, quæ in toto spiritus deficientes, resolutos, dissipatos, vigore privatos restaurant, reficiunt, colligunt, roborant, vigorant, vapores fuligines, halitus crassos discutunt, corrigunt, quæ tenues particulas sanguini communicando ipsum non debite spirituascentem, vappidum quasi, non vegetum, grumosum, stagnantem volatilifant, attenuant, movent, serum copiosius, viscidius, crassius absument, attenuant; Frigida, quæ particulis aquosis, diluentibus, temperantibus, terreis, salinis, fixis spiritus efferos ferocientes coërcent, sanguinem nimis

mis attenuatum ebullientem, æstuantem increffant, præcipitant, refrænant. Hæc *Reficientibus* applicare potero facilè.

XVIII. *Spiritus corporis nostri*, in quantum comparare licet, & *salinis & sulphureis oleosis* (ab ipso nimirum communi lapido principio distinctis) *volatilibus* in suâ Crasi & texturâ (principio vitali nunquam excluso) constant particulis; Harum *Defectus* ubi adest, vires dissipatæ resolutæ necessariò sunt; cum ergò exhibet *Medicus* medicamenta talibus dotata, facilè ipsis assimilabilia, e. gr. Aromatica varia, Aquas spirituosas, spiritus, olea, &c. quæ maximè hûc spectant, spiritus, salia, volatilia urinosa, de quibus & postea, spirituum quantitas restauratur, ac viribus vigor restituitur. Ubi ob eundem defectum, dissipationem, *ædritas, in motu segnities, dejectio* spirituum, effæta sanguinis vappescencia adest, juvant Eadem, ac subito *Reficientium* subeunt censum. Exaltant in tali casu & evehunt moschata. Ubi à crassis viscidis grumescentibus in M. S. ac corpore reliquo moleculis obruuntur, q̄s suffocantur spiritus, ubi à tenebricosis impuris heterogeneis obscurantur, inquinantur, ubi ab aciditate inimicâ inficiuntur, à peregrinis hostilibus corpusculis supprimuntur, subjugantur; Ubi ex dictis causis debitus ipsorum *motus retardatur*, & ferè tollitur, laudata non solùm, sed & alia tenuia penetrantia, citò *Reficiunt* medicamenta. Contra aciditatem obtundentem absorbentia & destruentia dum citò agunt, etiam hûc referri possunt & debent.

XIX. Laudata autem *Volatilia* unius generis non sunt; dantur enim sulphurea, salina, halitiosa, vaporosa, spiritiosa, urinosa, acida, enixa, oleosa, sicca, quæ in sensus incurrunt, dantur, quæ sensibus non ita patent, effectu tamen se sistunt, quorum singulorum actio non est eadem. *Balsamica sulphurea* tenues particulæ magis restaurant, *Urinosæ volatiles* suscitant magis & in motum agunt spiritus; Hinc prudenter hodie combinare talia solent *Medici*, salia volatilia oleosa, simplicia & composita varia parantes. *Volatilia* autem, *Penetrantia*, quæ vel in integris adhuc contenta corporibus, vel artificio educta, *gravem* tamen ac *fætidum odorem* spargunt, quia ingrata, spiritus non ita recreant; Actionem tamen in spiritus omnem ipsis non denego, nam etiam si non reficiant modo dicto, ob adversum impurum sulphur, tamen *motum* spirituum, si torpet, si ligati sunt, maximè *promovent*. Unde hoc respectu huic, aliàs isti, qui *th. s.* describitur, ordini inferenda sunt. An præ-

stent

ſunt iſta volatilia, quæ noſtro Nativum ſolum debent Climaſi, an quæ peregrino? *Vnus & Alter* controvertit. In *Genere* decidi non poteſt; *Cenſeo* tamen, multis noſtrum Clima gaudere *Reſicientibus*, quæ præſtant aliis, ſaltem ob novitatem è maximè diſſicis locis deſideratis exoticis. e. gr. *Meliſſæ*, *Tunicæ flores*, fl. *lilior. convall. violar. roſar. &c.* particulas continent penetrantes, quæ feliciter longè ſpiritus excitant ac reſtaurant, quàm illa novitate grata, celebria, exotica & exucca folia *Thèe*.

XX. *Ubiverò Calida ſulphurea corpuscula ſpiritus proſternunt, diſſipant, enervant, ubi aſtus, ebullitio M. S. ipſos reſolvit, Reſectio* per medicamenta, emendantia cauſam, ſpirituum reſolutionem impediencia, diluentia, aciduſcula, temperantia, abſorbentia, concentrantia, infringentia fit, quæ ceu ad *primam & ſecundam* retuli claſſem, ita ab hâc *tertiâ* non excludo, cùm ſubitò reſicere valeant. *Patet* ex his, quod *Medico Practico* probè conſiderandum, cùm cauſæ ſpirituum reſolutorum vel oppreſſorum ſint variæ, non eadem ſemper prodeſſe *Reſicientia*, non in omnibus eâdem doſi ac modo, certa ac determinata *Recreantia* propinanda eſſe. *Multi abutuntur* ſpirituosis, aromaticis, urinoſis, volatilibus medicamentis, quæ nimia, ubi à diſſipatione ſpirituum vacillant vires, magis ipſos diſſipare, hinc temperata refrigerantia conducere monet *Excell. Dn. Praeſes in Colleg. Privato in Epit. Roſinc. de particular. corp. affect.* Haud rarò acetum vel ſimplex vel medicatum, vinum granat. rub. id. &c. præſtat aquis omnibus apoplecticis, cordialibus, &c. *Quæ autem in ſpecie ſunt medicamenta Simplicia & Compoſita, hoc vel illo modo Reſicientia, ex generalioribus titulis aſſignatis colligere, ipſaque hic & ibi apud Authores conglomerata reperire licet. Quorum multa non pharmaceuticum ſolum, ſed & therapeuticum requirerent examen. Hic autem de modo mihi præfixus eſto Terminus; Sit DEO pro Reſectionibus ſpiritualibus & corporalibus Laus in ſeculorum ſecula.*

Monſtras, qui ſubitò $\left. \begin{array}{l} \text{Solando} \\ \text{Tollendo} \\ \text{Penetrando} \end{array} \right\} \text{Reſectio fiat:}$

Te Cita, Te penetrans Gratia Reſiciat!

Preceatur

PRÆSES,

Eſt Tibi languentium, JÆGERE, Reſectio curæ:
Fallimur? hac an ope conciliabis opes?

Officioſum omen

COMMENSALIUM.